R 2. Ian. 1639.

51657

Literulas tuas, nobilissime atque amplissime Hugeni,
quas erant superioribus mensibus in castris Bergozo-
mariis ad me datas, probe mihi redditas accepi. Et eas
dum lego relegoque, non tantum elegantissime nitidissimeque
exaratas, sed vario quoque eruditionis sale, ac veluti
sesamo, cum in modum sparsas deprehendi, ut non in
castris eas Bellonae aut Martis, sed Musarum tibi
dictatas dixerim. Te dignum, qui talibus in castris
talique principi a secretis consiliisque agens,
Cui Batavum placido moderatur Apolline Martem.
Et vero de acceptis illis citiorem te citius reddidissem,
si aut festinationem res flagitasset, aut ea essent tem-
pora tua, ut vacare semper studiis literisque nostris
posses. Nunc autem e castris reducem, et cum Deo ad
Lares, id est, ad Musas tuas Haganasque Tempe reversum,
compellandum confidentius putavi. Et magis cum istis
diebus emolitus sim Historiae nostrae Gelricae opus,
quod ex archivis potissima sui parte deductum, ac
publicis impensis a nobis elaboratum, vel ob id aesti-
matores plures spero habet. Tum et idem opus cum
non modo ab ovo, quod dicitur, et prima gentis origi-
ne per praefectos, comites ac duces, qui Nassavicae
omnes stirpis fuere ad ea usque tempora nostra
perductum sit, quibus afflicta adversus Hispanum, autore
praecipue principe Auraico, Gulielmo Nassavio, pa-
tria libertas fuit, non injucundam earum rerum comme-
morationem fore posteris eius ac filio perfectissimo
Celsissimo, qui eandem hodie causam, post patrem
fratremque, heroice feliciterque tuetur; et Gelriae quoque
Ducatui, ac Comitatui Zutphaniae ut provinciis
praeest. Unde et animus erat, exemplar aliquod
ad te delegare, quod eius Celsitudini exhiberetur;
sed retinuit commoda eius rei expedienda occasio, me
hoc tempore hacque senecta aetate valetudine adeo afflictâ
existente, ut pedem efferre domo nequiverim, Deum assidue
orans, ut me clementissime respiciat. Quod et Tecum
adiuvante tuo iudicio [illegible]. Ad te igitur vertendum mihi
judicavi, tuum hic nutum consiliumque desiderans explo-
raturusque quid facto opus ~~indicares~~ existimares. Quod
si obtinuero, me favore hoc tuo tuaque directione dignaveris
tibi ~~[illegible]~~ usque devinctum devinctiorem efficies, reque extu-

rus

tuus ad omnia vicissim officia promptum paratumque.
Beabis me si responsum aliquod accipiam; si nullum,
cogitabo praeventum me à bibliopolis, ut qui eiusmodi
aucupari solent, et amissam, quae hic praecipue
spectatur, gratiam celeritatis. Deus opt. max. te inco-
lumem ac florentem quam diutissime servet ac sospitet.
Dab. Harderovici Gelrorum A. MDCXXXVIII Decemb. xiii

T. Jos. Isacius Pontanus

[illegible]

Edelen, erntvesten, versienighen
heere, Constantijn Huijgens,
heere tot Zuilichem, Secre-
taris ende Raedt van zijn
Hoocheit.

in

s' Graven Hage.

Port.